Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

manum & pedem. Manum quoque pro manu & pedem pro
pede deposuit. Manus est animae uirtus qua tenere
aliquid & constringere potest. uelud si dicamus actus
eius & fortitudo eius. & per quod incedit ad bona uel
mala. Quia ergo si scandalum patitur anima. non
solum in fide sed & in actibus decidit. quae per manus sig
nificantur. & pedes auferuntur illius qui offendiculum praebuit.
Manus quibus non bene operatur. & pedes quibus
non bene incedit. recipit & aliam combustam quam
combussit. & gehennae tradidit animam. Per quae
singula hoc ostenditur ut iste percussor omnibus detrunca
tus membris a corpore excidatur ecclesiae. Ut & ceteri
inquit uidentes timorem habeant & non faciant similiter.
idcirco & apostolus cum doctorem describit ecclesiae
inter ceteras praecipit non percussorem. Nec putemus
praegnantes mulieres animas incipientes. Pone
animam pro anima. oculum pro oculo dentem pro dente.
Tales sunt & illae animae quas dominus in
euangelio deflet cum dicit. Uae praegnantibus
& nutrientibus in illis diebus. In quibus scandaliza
buntur si fieri potest & iam electi. sciendum tamen est
quod non est perfectorum scandalizari sed aut
mulierum aut paruulorum. sicut & dominus in euan
gelio dicit. si quis scandalizauerit unum